DE TRITHEMII ABBATIS VITA ET INGENIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE XII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXIII. HORA PRIMA.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS MUELLER

TREUENBRITZENSIS.

OPPONENTIBUS:

DAHL, STUD. PHIL.
REICHARDT, STUD. THEOLOG.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

PATRI SUO CARISSIMO

FRIDERICO MUELLER

MEDICO MILITARI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Natus est Joannes Trithemius Calendis Februariis anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo[1]), patre Joanne de Heidenberg, matre Elisabeth de Longovico, in villa Tritenheim dioecesis Trevirorum juxta ripas Mosellae, quae abest tribus milliariis a Trevirorum civitate.

Anno millesimo quadringentesimo octogesimo secundo[2]) Trithemius, quum vitae sacerdotali se dedere vellet, in monasterium Spanheimense ordinis S Benedicti in dioecesi Moguntinensi se recepit, praesidente Joanne de Colenhausen abbate, atque jam anno insequenti[3]), quum Joannes de Colenhausen abbas coenobii in oppido Seligenstadt factus esset, a confratribus suis abbas monasterii Spanheimensis electus est, cui praefuit plus quam viginti tres annos. Tunc vocatus per episcopum Herbipolensem Laurentium de Bibera, anno millesimo quingentesimo sexto in monasterium S. Jacobi in urbe Herbipolensi abbas accessit, et praefuit huic claustro ad annum millesimum quingentesimum sextum decimum[4]), quo anno mortuus est.

Trithemius, unus e doctissimis viris suae aetatis, multos scripsit libros, qui, si non magni ingenii opera sunt, at certe quantum studium quantumque tempus ad litteras adhibuerit, documento sunt. Laudandus est igitur Trithemius, qui sua aetate, quum litterae in Germania paullatim efflorescerent, etiamsi ipse litteras non quaestionibus recte absolutis auxit, sed multo magis varios errores scriptis suis divulgavit, tamen exemplo suo studium litterarum excitavit.

---

1) Chronic. Hirs. S. P. An. 1462.

2) Chronic. Hirs. S. P. An. 1482.

3) Chronic. Hirs. S. P. An. 1483.

4) Willibaldi Pirkheimeri liber „De viris illustribus Germaniae."

Quamobrem quum hic vir summam operam litteris daret, eum aegre tulisse, quod suo tempore litterae nondum tantum incrementum, quantum esse voluit, in Germania cepissent, credendum est.

Duae causae principales hujus rei ei videntur esse, primum [1]) quod Germanis innata semper fuerit barbarica quaedam indoles feritate Scythica permixta, qua suo more impulsi bellis dilatandis, vel tuendis terminis patriae, ulciscendis injuriis et contumeliis, inquietandis vicinis, ampliandis divitiis, exercendis vexationibus, hisque similibus operam navare magis consueverint, quam litteris.

Unde factum esse, ut, quia nihil curent nisi praesentia, nemo scribat eorum historias vel didicerit, vel curaverit, qui omnem contempserint eruditionem et historiam."

Altera causa ei videtur esse, quod principes magis voluptatibus quam litteris indulgeant.

Itaque vehementissime eos vituperat, praesertim quum rerum scriptores plane negligerent.

Dicit enim [2]): „Ex scaturigine tenebrarum cunctis paene Germaniae principibus, et suis et qui retro vixerint temporibus, quasi ex lacte morbum quendam ignaviae adhaesisse, ut voluptatibus dediti, non scripturis, avaritiam et vanum potius sectentur honorem, quam sui nominis immortalitatem. Hinc fieri, ut, quum principes ipsi paene omnes historiarum sui temporis scriptores vel negligant, vel contemnant, nemo inter Germanos velit esse historiographus.

Germaniae principes canes et fistulatores historiis praeferre, et futuris praesentia praeponere. Propterea perire memoriam eorum cum sonitu campanarum et nullam eos apud posteros laudis vel immortalitatis consecuturos esse memoriam, qui conscribendis historiis operam contempserint."

Sed aliquot principes in vituperando Trithemius excipit, inter quos Maximilianum Caesarem, Joachimum marchionem Brandenburgensium, Joannem Dalburgium, episcopum Wor-

---

[1]) S. P. chr. Hirs. Epistola data ad Joannem abbatem Hirsaugiensem.

[2]) S. P. chr. Hirs. Haec omnia sunt in Trithemii sententiam dicta.

matiensem. Cum his principibus litterarum studiosissimis in summa amicitia eum fuisse, et summis honoribus ab iis affectum esse, ex plurimis rebus intelligi potest.

Nam iis multa sua opera, quae in exitu chronici Hirsaugiensis affert, dedicavit. Dedicavit Joachimo marchioni Brandenburgensium „opus varium et mysticum", quod „steganographiam", id est „occultam scripturam" nominavit; dedicavit eidem libros quinque contra maleficos et omnes artes vanas, superstitiosas et Christianae religioni contrarias; ad eundem dedit tres libros de causis et cura maleficiorum et morbi caduci, et viginti libros naturalium quaestionum.

Dedicavit Maximiliano imperatori opus, quod nominavit „polygraphiam et multiplicem scripturam", ad eundem dedit opus unum librum continens, quod „polygraphiae clavem seu enucleatorium" nominavit; „de dominio septem intelligentiarum, quo videlicet ordine praesint orbi" librum unum; responsiones octo quaestionum, quas Maximilianus imperator ei solvendas proposuit, librum unum continentes.

Dedicavit Joanni Dalburgio, episcopo Wormatiensi, unum librum „de scriptoribus ecclesiasticis."

Quanta familiaritas Trithemio cum Maximiliano imperatore intercesserit, mihi praecipue documento esse videtur illa epistola a Maximiliano ad Trithemium scripta, quam ille in secunda parte chronici Hirsaugiensis affert[1]).

Quam epistolam Maximilianus ad Trithemium dedit illo tempore, quo Pisae concilium ab aliquot cardinalibus Julio II papae infestissimis habebatur.

Maximilianus enim, qui tunc Gallorum partes sequens, id egit, ut Julius papa a pontificatu deponeretur, ad Trithemium scripsit, interrogaturus eum, quid in hac re sibi gravissima faceret. Quae Maximiliani epistola incipit:

„Maximilianus divina favente clementia electus Romanorum imperator, semper Augustus, Joanni Trithemio, abbati s. Jacobi Herbipolensi, olim Spanheimensi. Accepimus litteras tuas, quibus significas te illud singulare et pulchrum

---

[1]) S. p. chr. Hirsau. 1511.

opus octo quaestionum[1]) nostrarum, de quo edendo te alias hortati fuimus, usque ad calcem dedisse, et jam plene perfecisse, quod nobis jucundissimum est, eritque et nobis ad maximam satisfactionem tibi ad perennem famam; quoniam scimus, quae ex te viro litteratissimo et integerrimo procedunt, non nisi excellentia et paria magnitudini tuae, et quae perpetuo a principibus viris e discenda sunt.

Sed quum jam et bello maximo (propter quod cogimur Italiam petere) et convocandae universalis ecclesiae maxime impliciti sumus negotio, non possumus his jam vacare, sed in reditu nostro evocabimus te cum eodem opere tuo ad nos, et tecum de singulis praesentes latius disseremus."

Post haec verba imperator Trithemium invitat, ut Pisam veniat ad concilium celebrandum, quod ad papam deponendum convocatum sit, aut nisi venire velit, sibi scribat, quid de hac re cogitet.

Data est illa epistola Maximiliani imperatoris ad Trithemium in oppido Oettingen pridie Nonas Junii anno millesimo quingentesimo undecimo.

Neque vero minus amicus Joachimo marchioni Brandenburgensium, quam Maximiliano imperatori Trithemius erat. Ipse[2]) narrat se anno millesimo quingentesimo quinto post comitia imperialia Coloniae habita, quibus Joachimus interfuerat, vocatum ab Joachimo illum in Marchiam comitatum esse, et ibi novem menses morantem Latine loqui eum docuisse.

Quantopere Trithemius Joachimum marchionem coluerit et dilexerit, multi loci in chronico Hirsaugiensi documento sunt, quibus locis Trithemius Joachimum summis laudibus afficit, nominans eum, omnium doctorum hominum et eruditorum unicum Maecenatem, amatorem et promotorem omni tempore singularem."[3])

---

[1]) Octo sunt illae quaestiones quas Trithemio a Maximiliano imperatore respondendas propositas fuisse, jam supra commemoravimus.

[2]) S. p. chr. Hirs. an. 1506.

[3]) S. p. chron. Hirs. an. 1484. 1506. 1508.

Sed quamvis Trithemius Maximilianum imperatorem et Joachimum marchionem veneratus sit, tamen summis laudibus Joannem Dalburgium, episcopum Wormatiensem, tollit. Ille vir, qui cum viris litterarum studiosissimis suae aetatis Rudolpho Agricola, Joanne Wesselo et aliis viris illustrissimis summa necessitudine conjunctus erat, eo optime de Germania meritus est, quod liberalissime homines doctos adjuvit, et ipse scriptis suis litterarum studium excitavit.

Conrado enim [1]) Celte auctore, ut studium litterarum tota Germania augeretur, et omnes docti homines viribus unitis litteris se darent, sodalitatem Rhenanam constituit, cujus societatis socii erant Conradus Celtes, Eitelwolfus de Stein, Joannes Trithemius, Joannes Reuchlinus, Jacobus Wimphelingus, Joannes Wesselus, Rudolphus Agricola, Willibaldus Pirkheimerus et alii viri doctissimi, qui nomen suum egregiis operibus celebrarunt.

Verisimillimum videtur hanc societatem Rhenanam sive Celticam constitutam esse anno 1490, quo tempore Celtes Heidelbergae commoratus est, quam de hac re opinionem Klüpfelius in libro de vita et scriptis Conradi Celtis profert et bene defendit (vol. I, pag. 109. 110).

Itaque quum Joannes Dalburgius tantam operam daret, ut litterae in Germania laetius efflorescerent, non est admirandum, quod Trithemius, vir litterarum studiosissimus, summis laudibus eum affecit.

In praefatione operis sui „de scriptoribus ecclesiasticis" dicit se Dalburgio illud opus dedicasse, quod doctissimus omnium virorum in Germania, et a Gallis et Italis habeatur. Ita Trithemius Joannem Dalburgium coluit et dilexit.

Item Trithemius cum plurimis viris litterarum studiosissimis aetatis suae amicitias contraxit.

Dubium non esse credo, quin eo praecipue, quod in summa necessitudine cum Joanne Dalburgio versatus est, qui semper viros litteris deditos in aula sua habebat, et quod ipse

---

[1]) Zapf: Vita Joannis Dalburgii, episcopi Wormatiensis §. 29.

socius societatis Rhenanae erat, Trithemio plurima occasio data sit doctissimos viros temporis sui cognoscendi.

Sed quamvis Trithemius studio litterarum cum illis viris consentiat, tamen de ratione litterarum non idem sentit.

Nam litteris eandem fere rationem supponit quam religioni; exsistimans nos ex iis praecepta haurire posse, quibus vitam nostram accommodare possimus. Ex illis verbis, quibus Trithemius in epistola ad Joannem abbatem Hirsaugiensem scripta, quam in initio secundae partis chronici Hirsaugiensis affert, utitur, quid de litterarum ratione sentiat, intelligi potest. Haec sunt illa verba:

Dicerent forsitan aliqui: Quid hodie conducit Socrati, Platoni, Pythagorae, Plotino, Porphyrio caeterisque innumeris Gentilium philosophis, quod apud nos in memoria habentur eorum nomina, ubi non sunt, et mentes sive animae eorum torquentur apud inferos, ubi manere compelluntur? Dicant mihi, quid conducat sanctis Apostolis, Martyribus et confessoribus, quod litteris commendata tot saeculis apud posteritatem eorum memoria tenetur? Si nihil conducit, vanus est labor illorum, qui gesta per eos litteris commendarunt.

Si autem conducit, vel prodest aliquid, sive illis ad honorem, sive legentibus nobis ad aedificationem, non erit aspernanda historiarum conscriptio, in quibus recte bonorum facta nobis proponuntur cum laudis merito ad imitationem, et pravorum male ac perperam gesta cum digno vituperio producuntur in medium, quibus admonemur, ut similia caveamus. Historia lectorem suum honestis moribus instruit ad virtutem. Sive enim de bonis loquatur, sive de malis, nunquam sine utilitate legitur, quoniam aut instruit lectorem ad virtutis laudatae cultum, aut retrahit, ne pravorum imitando gesta honoris incidat periculum et caet."

Qua in re plerique viri, qui illis temporibus litteris se dederunt, vehementissime a Trithemio dissentiunt, qui litteras, non ut praecepta ad vitam agendam adipiscerentur, tractarunt, sed quod iis animo delectati sunt, quod iis ingenium suum exercere et excolere, quod intelligere, quid unaquaeque res sit, voluerunt.

Sed viros litterarum studiosissimos, quamquam idem de ratione litterarum exsistimarunt, tamen in multis rebus valde inter se discrepuisse infitiari non possumus.

In studio quidem omnes res investigandi consenserunt, sed rebus perscrutandis ipsis ad diversissimas vias perducti sunt. Alii enim, qui litteris ingenium suum exercuerant, qui in litteris tractandis plane acquieverunt, qui nihil nisi quod ratione intelligere possent, verum esse crediderunt, a plurimis ecclesiae praeceptis dissentire, et narrationes veteris et novi testamenti maxima ex parte fabulas esse exsistimare inceperunt.

Ji non modo eas sententias catholicae religionis, quae non ex sacris litteris in primitiva lingua scriptis perceptae erant, sed etiam quodcumque mirabilius esse visum est, quam quod credi posset, dubitarunt. Alii vero, qui in linguis, praecipue qui in Hebraica et Graeca, multum profecerant, qui etiamsi litteris ingenium suum acuerant, tamen saepe idem, quod rationi contrarium esse videbatur, animo comprehendi posse crediderunt, quum litteras sacras in primitiva lingua legissent, a multis quidem sententiis ecclesiae dissenserunt, sed non res, quae narrantur in sacris litteris. dubitarunt. Omnes illas sententias ab ecclesia constitutas, quae linguae primitivae sacrarum litterarum non repugnarunt, rectas esse, sed quae ei contrariae erant, falsas esse judicarunt.

Quae bina castra doctissimorum virorum, quamquam de sacris litteris non idem senserunt, tamen eodem studio verum investigandi inflammata, persuasum habebant ecclesiam in multis rebus errasse, et contra eas ecclesiae sententias, quas falsas esse intellexerant, pugnarunt.

Nihilo minus quamquam ecclesiam catholicam in multis erroribus statutam esse viderunt, quamquam contra eos pugnaverunt, tamen eos audacter plane debellare, omnibus viribus ecclesiae resistere, efficere conari, ut errores ex ecclesia catholica delerentur, non ausi sunt.

Nam ulli membro ecclesiae, etiamsi intellegat ecclesiam errasse, ei contradicere licere negarunt.

Itaque plerique quidem, qui errores ecclesiae intellexerunt, conquesti sunt et moleste tulerunt, sed ut errores emendarentur, nullam operam navarunt.

Qua in re Trithemius rursus a ceteris hominibus litterarum studiosis vehementissime discrepat.

Joannes Reuchlinus, Joannes Wesselus et alii viri doctissimi, quamquam sententias ecclesiae non palam armis ingenii aggressi sunt, tamen ecclesiam in multis rebus errasse probe sciverunt.

Sed tantum afuit, ut Trithemius ecclesiam errasse crederet, ut eam nullo modo errare posse sentiret.

Joannes Wesselus se cum ecclesia, non ad ecclesiam credere velle, et tantum in iis rebus papam sequi velle, quas sacris scriptis non contrarias constitueret, dixit[1]).

Trithemius autem in omnibus rebus ad ecclesiam credere voluit. Quascumque res ecclesia constituisset, in iis ab ecclesia dissentiri nefas esse judicavit.

Si sancta mater ecclesia loquítur, omnibus parendum est; si quis contradicit, haereticus est et antichristus.

Quod ecclesia sancto spiritu regitur, necesse est omnes res, quas ecclesia constituit, verae sint.

Papa vicarius est Christi, papae sanctus Petrus apostolus omnem potestatem tradidit[2]).

Quantopere Trithemius papam coluerit, vix credendum est. Si verbis, quibus saepissime utitur, fidem praestare vellemus, illum, si papa postulasset, ut omnia nulla re excepta, quae possideret, ei traderet, hoc facere nullo modo recusaturum fuisse, nobis exsistimandum esset.

Nam identidem in chronico Hirsaugiensi legatos papales in Germaniam venisse, qui praeter aequum magnas pecunias a sacerdotibus Germanicis impetrare conabantur, commemorat.

Quamquam sacerdotes jure pleno legatis sedis pontificalis restiterant, tamen Trithemius, quod negassent, eos magnam injuriam fecisse exsistimavit; nam ecclesiae unum-

---

[1]) Caroli Raumeri historia educationis. Prima pars.

[2]) Octo quaestiones, quas Maximilianus imperator Trithemio solvendas proposuit.

quemque non morantem, quidquid ea postularet, obtemperare opus esse.

Trithemius in eo vehementissime erravit, quod veram vim ac naturam christianae religionis a praeceptis fidei catholicae, quae papa et ecclesia constituerant, diversissimam esse non intellexit.

Duas res, religionem, ecclesiam et papam Trithemius permiscuit.

Qua in re quod Trithemius a plerisque hominibus litterarum studiosis vehementissime dissensit, non est admirandum.

Nam quum Trithemius, monachus s. Benedicti ordinis, ordinis antiquissimi, sedi pontificali semper fidelissimi, quacum multis vinculis memoriae, amicitiae, pietatis conjunctus erat, summo amore ordinem suum amplexus sit, id quod multi loci chronici Hirsaugiensis demonstrant, fieri non potuit, quin, qui monachus omnes res contemplatus est, a plurimorum litterarum studiosorum hominum sensu valde discreparet, qui, quum plerique laici essent, plurimarum opinionum pravarum sacerdotalium expertes erant.

Accedit, quod illi, qui in Italia et in Gallia plerumque versati erant, sedem apostolicam oculis ipsis perspexerant, et quum multas res in Germania ignotas cognovissent, praecipue quae ad litteras pertinuerunt, oculos animi magis acuerant, quam Trithemius, quem per maximum tempus vitae inter claustri parietes versatum esse verisimile est.

Itaque Trithemius quidem pleraque vitia, quae in ecclesia inhaerebant, non tam perspicue intellexit, quam ceteri litterarum viri studiosi, sed ea, quae ei proxima erant, vidit.

Monachorum ejusdem temporis mores plane depravatos esse eum non fugit.

Laudat enim in exordio chronici Hirsaugiensis, commemorans claustrum Hirsaugiense eo tempore, quo fundebatur, tam simplex fuisse, ut omnia claustra illius temporis magnificentiora esse viderentur, pietatem et eruditionem monachorum illius aetatis, quae decori fuerint monasteriis simplicibus. Sed valde vituperat ignorantiam et malitiam monachorum suae aetatis, dicens veteres quondam ordinis sui monachos

cellulas inhabitasse humiles et tenebrosas, sed corda eorum lumine divini amoris splendida fuisse et lucida, atque in scientia sanctarum litterarum mirabiliter illustrata.

Ejusdem vero tempestatis monachos cellas pulchras habitare et lucidas; mentes autem eos sine lumine sanctitatis negligere vitiis et ignorantia tenebrosas.

Ita similiter cum calices olim essent cuprei, fuisse (ut sic dicatur) aureos sacerdotes, nunc autem calices esse aureos et in cuprum sacerdotes esse mutatos.

Impavide Trithemius in chronico Hirsaugiensi detegit malitiam monachorum multorum claustrorum; maximo gaudio, si quae coenobia reformantur, id commemorat.

Se ipsum multum tempus multamque operam ad claustra reformanda adhibuisse, multis locis exponit.

Trithemius sicuti unus ex monachis eruditis, qui melioribus temporibus medii aevii erant, omnes res contemplatur.

Cum viris litterarum studiosis suae aetatis eum in summa necessitudine versatum esse, non quod in plerisque gravioribus partibus litterarum cum illis consenserit, sed tantum quod eodem studio litterarum inflammatus erat, quo illi, jam supra demonstravimus. Qua in re sola cum hominibus eruditis consensit, in multis aliis rebus, praecipue quae ad religionem pertinent, eos acerrime aggreditur.

Quanta acerbitate in omnes, qui narrationes sacrarum litterarum ratione disquirere voluerunt, invectus sit, documento sunt octo illae quaestiones, quas solvendas Maximilianus imperator ei proposuit; quo in opere eosdem homines, quibuscum studio litterarum conjunctus erat, vehementissime opinionis causa de rebus divinis vituperat.

Quod Trithemii ingenium et mores cernuntur in operibus permultis, quae scripsit, praecipue in maximo opere Trithemii in chronico Hirsaugiensi, quod nunc in disceptationem accuratiorem vocabo.

Trithemius, tunc abbas coenobii Spanheimensis, a Blasio, abbate Hirsaugiensi[1]), petitus, anno millesimo quadringentesimo

---

[1]) Epistola ad Rogerium Sicambrum Herbipoli data anno 1507.

nonagesimo quinto chronicum Hirsaugiense scribere incepit [1]), atque jam primam partem finiverat, quam ab anno octingentesimo tricesimo, quo anno claustrum Hirsaugiense conditum esse dicit, ad annum millesimum trecentesimum septuagesimum duxit, quum Blasius abbas anno millesimo quingentesimo tertio mortuus est [2]).

Tunc Trithemius, qui Joanni abbati, Blasii successori, non tam amicus erat quam Blasio ipsi, chronicum se continuaturum esse primo negavit [3]), sed postremo etiam atque etiam ab Joanne abbate invitatus, anno millesimo quingentesimo nono rursus ad opus aggredi statuit [4]).

Sed primam partem antea dimissam denuo elaboravit [5]), et ducens eam ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum quintum, quo anno Volpoldus abbas obiit, anno millesimo quingentesimo undecimo finivit [6]).

Deinde alteram partem incipiens, quam ad annum millesimum quingentesimum undecimum duxit, finivit eam anno millesimo quingentesimo decimo quarto [7]).

Trithemius chronicum Hirsaugiense ex serie annorum ordinavit, ut lector factum cujuslibet temporis sub regimine abbatum facilius possit invenire; nam tali ordine seriem distinctam temporum et minus legentem aggravare, et pulchra varietate historiam per amplius ornare [8]).

---

[1]) Epistola ad Joannem abbatem Hirsaugiensem, successorem Blasii, data Nonis Februariis anni millesimi quingentesimi undecimi, quam Trithemius affert in initio primae partis chronici Hirsaugiensis.

[2]) Praefatio Joannis Georgii Schlegeli, monachi sancti Galli, chronico Hirsaugiensi praeposita, quod ille anno millesimo sexcentesimo nonagesimo edidit.

[3]) Epistola ad Rogerium Sicambrum Herbipoli data anno 1507.

[4]) Epistola ad Joannem Piemontanum priorem Lacensem data anno 1509.

[5]) Eodem loco.

[6]) Epistola a Trithemio ad Joannem abbatem Hirsaugiensem data anno 1511.

[7]) Vide verba, quibus Trithemius secundam partem chronici Hirsaugiensis finit.

[8]) Praefatio primae partis chronici Hirsaugiensis.

Oratio Trithemiana haud ita pulchra et jucunda est; sententiae enim sunt maxima ex parte brevissimae et abruptae. Trithemius, qui ipse probe scit ornatam orationem sibi deesse, se ornate scripturum esse omnino jam initio negat.

Sed inviolatam veritatem in omnibus narrationibus se conservaturum esse dicit [1]).

Num Trithemius re vera, id quod promisit, tenuerit, postea videbimus.

Trithemius, qui res objective narrat, raro tantum inserit sententias subjectivas.

Suum non esse de rebus, quas nostris oculis praebeat, judicare, sed aliorum dicit [2]).

Praecipue successiones abbatum et casus claustri Hirsaugiensis enarrat; commemorare res universas orbis terrarum obiter tantum vult.

Fxponit nobis, quam vitam abbates egerint, quid fecerint, quae opera reliquerint, quales se inter discordias paparum et imperatorum gesserint.

Haec est summa ratio chronici Hirsaugiensis.

Praeterea omnes viros eruditos omnium temporum et eorum opera commemorat; et sparsim facta in Germania inserit [3]).

Quam rem se fecisse dicit, ne chronicum usquam progrediatur vacuum, neve ulli fiat onerosum, ut rerum varietas jucunda fiat nescientibus, et prolixitas brevitate compressa scientibus non generet in mente fastidium, ut non solum Hirsaugiensibus, sed etiam omnibus le gentibushonestam animorum conferat voluptatem [4]).

Trithemius, qui aegre tulit, quod principes suae aetatis rerum scriptoribus nullo modo favebant, chronicum suum Hir-

---

[1]) Eodem loco.

[2]) Id multis locis chronici Hirsaugiensis exponit.

[3]) Epistola data ad Joannem abbatem, quae commemoratur a Trithemio in initio secundae partis chronici Hirs.

Epistola ad Nicolaum Baselium ex Durkheim monachum Hirsaugiensem data, quae eodem loco commemoratur.

Praefatio primae partis chronici Hirsaugiensis.

[4]) Iisdem locis.

saugiense nonnullis hominibus, qui in historia patriae suae non multum profecissent, necessariam cognitionem allaturum esse, et immortale futurum esse speravit. Dicit enim in praefatione primae partis chronici Hirsaugiensis:

„Erit forsitan aliquando tempus, quando opus hoc nostrum in unius angustia coenobii minime latere poterit, sed hominum curiositate laudabili extractum in manus plurimorum veniat discutiendum.“

Ratio, quam Trithemius in judicandis rebus sequutus est, cum opinione ejus de sententiis ecclesiae catholicae omnino congruit.

In omnibus certaminibus inter imperatores et pontifices Romanos pontificum partes suscipit. Papam nunquam injuriam facere posse, imperatorem a papa dissentientem semper peccare, Trithemio quasi axioma est, quod nemo refellere possit.

Utra pars in qualibet re controversa jus habeat, id accuratius disquirere et incorrupta fide dijudicare, ei in mentem non venit.

Satis est ei legisse quolibet tempore papam et imperatorem inter se dissensisse, ut papam maximis laudibus, imperatorem summis conviciis afficiat.

Quum nemini contradicendum esse ecclesiae, sed unicuique parendum esse exsistimet, imperatores, qui pontificum usurpationibus se opposuerunt, valde vituperat.

Imperatores maxima ex parte tantum ut regalia imperii ab ambitione et cupiditate paparum, nullis finibus circumscripta, defenderent, non ut ecclesiam catholicam (sic enim Trithemius credidit) diruerent, pontificibus restitisse, Trithemium plane latuit.

Doctrinam eum illorum sequi, qui papalem dignitatem majorem esse imperiali dixerunt, etiamsi non aperte et expresse usquam commemorat, tamen ex multis rebus conjici potest.

Si quidem quilibet papa imperatorem quemvis excommunicat, licet hoc maxima injuria faciat, licet arbitrium pa-

pae maximum sit, tamen Trithemius postulat, ut imperator se papae subjiciat, ante oculos ejus appareat, remissionem excommunicationis ab eo petat.

Quin etiam aliquot locis ita dicit, ut credere cogamur, Trithemium exsistimare, papae non modo licere imperatorem a dignitate imperiali, verum etiam a regno Germanico deponere, atque principes ad novum regem creandum invitare.

Atque dum hoc modo dicit, saepe maximam simplicitatem animi ostendit.

Interdum enim commemorat papam ab imperatoris inimicis commotum imperatorem excommunicasse.

Tunc si imperator papae, qui sine ullo jure id fecit, infestissimus esse coepit, et omnes in Germania punit, qui excommunicatione imperatoris nitentes se illi parituros esse negant, praecipue si sacerdotes contra eum rebellantes plectuntur, imperatorem Trithemius hostem et adversarium sanctae ecclesiae nominat, qui ejus justis admonitionibus parere nolit, atque in pertinacia permaneat.

Cujusmodi sententias quanta quasi Stoicorum tranquillitate et lentitudine saepe pronuntiet, mirabile est.

Ita, ut exemplum afferam, commemorat Leodienses, qui Henricum IV. imperatorem mortuum in terra consecrata sepeliverant, a papae legatis cadaver ejus rursus effodere et in terra profana condere coactos esse. Haec res, quae nobis horribilissima esse videtur, Trithemio omnino placet.

Dicit enim anno millesimo centesimo sexto in chronico Hirsaugiensi, quisquis vivens ecclesiae communionem nolit accipere, eum indignum esse censendum, ut eam mortuus consequatur.

Sed tantum abest, ut Trithemius, qui hanc rationem sequitur, imperatores iis virtutibus, quibus praediti sunt, privet, ut agnoscat eas.

Ita etiam Henricum IV. quem infestissimum inimicum ecclesiae fuisse exsistimat, multis virtutibus ejusmodi ornatum fuisse concedit, quarum causa valde eum nostris temporibus veneraremur.

Attamen omnes virtutes Trithemius pro nihilo habet, nisi cum summa pietate erga ecclesiam conjunctae sunt.

Dicit anno millesimo centesimo sexto, postquam multos scriptores, Henricum IV. maximis virtutibus praeditum fuisse, tradidisse, commemoravit:

„Sed haec omnia bona hoc unum in oculis omnium, qui Deum timuerunt, obfuscavit, quod ecclesiam contempsit, et excommunicatus a tot Romanis pontificibus usque ad mortem in sua pertinacia perduravit. Ob id primus fuit inter Romanos imperatores, qui ab imperio depositus legitur etc.“

Quibus ex verbis intelligitur Trithemio idem valuisse, omnibus paparum decretis se subjicere, quod Dei omnipotentis legibus parere, idem decretis paparum saepe nimium sibi adsumentium contradicere quod Dei legibus se opponere. Itaque quum omnes imperatores, qui usurpationibus paparum resistunt, antichristos, schismaticos, ecclesiae inimicos nominet, quid mirum, quod illos imperatores, qui infirme imperium rexerunt, quum plerumque non modo in Germania sacerdotes summis donis cumulassent, sed etiam in omnibus rebus papae obtemperassent, summis laudibus tollit?

Ita Fridericum III. imperatorem pietatis causa et amoris erga sacerdotes valde laudat.

Tametsi Trithemius maxima ex parte, praeterquam quod imperatores inobedientiae in ecclesiam accusat, quam sine dubio maximum scelus humanum esse credidit, famam eorum non dedecorat, tamen interdum eos res fabulosissimas gessisse tradit, quae, si gestae essent ab iis, haud ita decori iis essent.

Quod Trithemii malitiae non est tribuendum, acsi imperatores omni modo calumniari voluerit, sed positum est in eo, quod plerique scriptores, quibus in chronico Hirsaugiensi conscribendo usus est, imperatorum adversarii erant, qui incredibilissima de imperatoribus narrare non veriti sunt.

Res, quas imperatoribus infestissimi scriptores tradiderunt, accuratius dijudicare, vera a falsis separare opus esse non intellexit, quod studium unius partis ita oculos animi

ejus ceperat, ut — id dicere ausim — quum vir magnae simplicitatis, quo incredibiliora de imperatoribus scriptores narrarent, eo majorem fidem iis habendam esse exsistimaret, scriptoribus, qui imperatoribus infestissimi erant, maximam fidem, iis vero, qui imperatorum partes sequuti erant, nullam aut minimam tantum fidem praestaret.

Trithemium praecipue illos scriptores, qui pontificum partibus faverant, veneratum esse, alios vero, imperatoribus fidelissimos, ob eam rem contempsisse, quum multae aliae res, tum id documento est, quod scriptores paparum partibus faventes et eorum opera in chronico Hirsaugiensi valde laudat, sed scriptores, imperatorum partes sequutos, quamvis eos interdum multarum rerum causa laudet, tamen, quod imperatorum partes scriptis suis adjuverint, valde vituperat.

Ita Marianum Scotum, qui partibus Gregorii VII. papae faverat, in omnibus partibus laudat, Sigebertum Gemblacensem tamen, cujus eruditionem laudat, quod Henrici IV. partes sequutus erat, vituperat. Haec dicit de Sigeberto in chronico Hirsaugiensi.

„Sigebertus, monachus Gemblacensis, ordinis s. Benedicti, natione Gallicus, vir in divinis scripturis a juventute sua studiosissimus et multum eruditus, atque in saecularibus litteris nulli suo tempore in Leodiensium territorio secundus, carmine exercitatus et prosa, scripsit utroque stylo multa volumina, quibus nomen suum transmisit ad posteros. Reprehenditur autem in eo, quod Henrico imperatori Romanae ecclesiae persecutori et rebelli adhaerens contra Hildebrandum, Gregorium VII. papam, litteras et opuscula scripsit."

Quo modo Trithemius altera quidem ex parte operam dat, ut imperatores paparum usurpationibus resistentes inimicissimos ecclesiae omnium oculis proponat, sed altera ex parte nihil antiquius habet, quam ut omnes paparum virtutes, quibus excelluerunt, commemoret, vitia vero eorum silentio praetermittat.

Raro tantum dicit complures scriptores rerum memoriae prodidisse, papam quemvis scelesta fecisse.

Sed tantum abest, ut illa scelera, quae a papis commissa esse aliquot scriptores tradunt, exponat, ut se de illis taciturum esse ostendat, quod nemini de vicario Christi judicare liceat.

Ita dicit, obitum Bonifacii VIII. papae commemorans[1]:

„De cujus introitu ad pontificatum, vita et moribus multi multa perperam satis scripserunt, sed nobis judicium usurpare non debemus; nam prava de mortuis scribere non est boni viri atque prudentis, multo ergo minus Christi vicarium licebit alicui deturpare.“

Qua ex re rursus apparet, quanto studio unius partis Trithemius chronicum suum scripserit, qui quidem incredibilissima imperatores fecisse credere et scribere fas esse exsistimat, sed scelera paparum, quae scit, ennarrare nefas esse persuasum habet.

Si Trithemius tantopere unam partem adjuvat, ut omnes virtutes ejus commemoret, de vitiis taceat, alteram vero partem, utut fieri potest, maximis conviciis afficiat, quid admiramur, quod scelera nefaria Alexandri VI. papae, quippe qui Trithemii aequalis esset, omnino praetermittit?

Quum nullas ejus virtutes commemorare possit, vitia ejus plane praetermittit; imperatores scilicet, non papas, Christi vicarios, deturpare ei licuit.

Ut paucis dicam, omnia, quae auctoritati pontificali nocere possint, praeterit.

Saepissime quidem non suas sententias ingenue pronuntiat, sed tamen in rebus controversis eam sententiam semper sequi, quae sedi pontificali magis faveat, neminem, qui chronicum Hirsaugiense paullo accuratius contemplatus est, fugiat.

Commemorat, ut exemplo utar, Dantem, quem maximum poëtam fuisse concedit, exsistimasse, imperium Romanum a nullo nisi a Deo ipso dependere, atque Guilelmum de Ockam idem sensisse.

Qua de sententia haec dicit:

---

1) Secunda pars chronici Hirsaugiensis annus 1303.

„Multi hanc opinionem sequentes, imperium dicunt nullatenus ecclesiae esse subjectum, nec papam Romanum in eo quidquam habere potestatis.

Ego autem, qui historiarum sum scriptor, non judex opinionum, his praetermissis, ad ea, quae scribenda restant, potius festinare decrevi; quid in hac re sit, verius illius est judicare, qui potestatem accepit a Deo, non quicumque voluntate movetur."

Qua in re quidem Trithemius sententiam suam non aperit; attamen quid sentiat, conjicere non est difficile.

Quae res effecerit, ut Trithemius, quamquam summum unius partis studium ostendit, tamen ipse se semper inviolatam veritatem servasse crederet, id comprehendere facile est.

Claustrum Hirsaugiense, ordinis S. Benedicti, cujus historiam Trithemius scripsit, qui ordinem suum S. Benedicti valde dilexit, illis temporibus, quibus papae et imperatores inter se vehementissime pugnaverunt, semper pontificum partes sequutum est.

Priore quidem tempore, antequam summae discordiae inter Gregorium VII. papam et Henricum IV. imperatorem orirentur, Benedictini imperatorum partes sequuti erant; sed quum Guilelmus, abbas claustri Hirsaugiensis, anno millesimo septuagesimo septimo auctore papali legato Bernardo, abbate S. Victoris, Cluniacensem regulam [1]) in claustrum Hirsaugiense introduxisset, et inde regula illa in pleraque nigrae silvae coenobia transferretur, monachi s. Benedicti imperatorum partes deserentes in pontificum castra perfugerunt.

Qua regula accepta monachi S. Benedicti illam rationem ecclesiae, quae Gregorii VII. papae temporibus exsistens, praecipue in Cluniacensi claustro orta est, sequentes pontificalem dignitatem summam esse in orbe terrarum, imperatoriam dignitatem papali subjectam esse credere inceperunt.

Quae opinio ita eos cepit, ut aliter de hac re judicare nefas esse exsistimarent, et unumquemque, qui contradixit,

---

[1]) Wattenbachii fontes Germanici historici. Pagina 240.

qui imperatorum partes sequutus est, schismaticum, antichristum nominantes maxima acerbatione persequerentur.

Quid igitur mirum, quod Trithemius, qui in omnibus rebus cum Benedictinis priorum temporum consensit, qui ordinem suum summo amore et reverentia amplexus est, idem pontificalium partium studium ostendit, quod eandem simplicitatem animi sequens, omnia, quae papae fecerant, recta, pleraque, quae imperatores, injusta esse perquam persuasum habuit?

Quum claustri Hirsaugiensis historiam scriberet, quod semper paparum partes sequutum erat, perspicue, id quod sensit, aperire potuit.

Cum religiosa opinione Trithemii etiam conjunctum est odium ejus haereticorum.

Joannem Huss et Hieronymum Pragensem, quorum eruditionem ipse summis laudibus tollit, jure pleno igni concrematos esse dicit, quod haeresiarchi fuerint.

Odium illorum hominum, quod prae se fert, non modo in Hussitas, sed etiam in omnes eos transfert, quos ut summa clementia in Hussitas animadverteretur, suasisse novit.

Ita Fridericum de Hohenzollern, quem Sigismundo imperatori suasisse, ut ejusmodi reformationem ecclesiae statueret, qua maxima ex parte sacerdotes rebus suis privati fuissent, tradit, Fridericum quendam, ejus ministrum, Hussitam potius quam Christianum, cleri hostem et adversarium nominat [1]).

Dignum est commemoratu, Trithemium, si certamina inter Germanos et Hussitas narrat, Germanos non Germanos nominare, sed plerumque Christianos, tamquam Hussitae Christiani non sint.

Simili modo de omnibus haereticorum sectis dicit.

Trithemius comprehendere non potest, qua ratione fieri possit, ut haeretici auctoritati sanctae matris ecclesiae se objiciant, quam Christus statuerit et sanctus spiritus regat.

---

[1]) S. p. chronici Hirsaug. annus 1416.

Haereticos asseclas diaboli, antichristos appellat, dignos qui diabolo tradantur.

De Judaeis ita prave judicat ut aequales sui.

Nominat eos gentem impiam, et crucis Christi semper inimicam [1]). Dubium ei videtur non esse, quin hostias furentur, et liberos Christianorum mactent.

Attamen multas res, quarum a Christianis arguti sunt Judaei, a Christianis fictas esse saepissime concedit, ut occasionem Judaeorum diripiendorum et opibus eorum se locupletandi adipiscerentur.

Porro libenter in chronicum Hirsaugiense narrationes miraculorum inserit.

Sanctos viros miracula fecisse et in morte eorum angelorum voces auditas esse, qui laudes sanctorum virorum cecinerint, ei persuasum est.

Saepissime fit, ut sanctorum imagines prodigia efficiant, ut hostiae, quas nefarii Judaei furati in terra non consecrata condiderunt, fulgere incipiant, et si perforatae sunt, sanguis ex illis emanet.

Cometae, si apparent, semper pestem, bellum, principum mortem indicant.

Ita anno praecedente mortem Ludovici II. imperatoris quinque et viginti cometas apparuisse in coelo tradit, quos imperatoris mortem indicasse credit.

Semel etiam hominem, qui jam mortuus erat, ex mortuis resurrexisse, et quid in inferis viderit, narrasse dicit.

Saepenumero daemones tumultuantur, improbae mulieres et magi homines et animalia in varias formas vertunt, praecipue in versipelles.

Quae omnia Trithemio tam credibilia esse videntur, ut se ipsum haec expertum dicere interdum affirmet.

In conscribendo chronico Hirsaugiensi Trithemius permultis auctoribus usus est, quos in praefatione primae partis chronici Hirsaugiensis maxima ex parte enumerat.

[1]) Prima pars chronici Hirsaugiensis annus 1236.

Primum nominat Meginfridum monachum Fuldensem.

Omnia, quae de claustri Hirsaugiensis fundatione et temporibus narrat, quae proxime fundationem sequuntur, se ex chronico solo hujus Meginfridi hausisse, non alio quam ejus testimonio usum esse tradit. [1])

Porro Widukindo et Reginone Trithemius usus est.

Quis ille Benno abbas, quem in historia Suevorum sequutum esse se dicit, fuerit, nusquam invenire potui, ne in chronico quidem Hirsaugiensi, in quo maxima ex parte omnes viros litterarum studiosos omnium temporum commemorare solet, ut, etiamsi in nullo alio libro de iis quicquam invenitur, tamen interdum in chronico Hirsaugiensi aliquid inveniamus.

Fortasse Benno abbas opus scripserit, quod, quamquam etiam Trithemii temporibus notum fuit, ad nostra tempora non venit, quo opere Trithemium usum esse credendum est.

Deinde commemorat se in gestis Trevirorum Theodoricum et Golicherum sequutum esse, quos viros annales Trevirorum continuasse in chronico Hirsaugiensi anno millesimo decimo dicit.

Theodoricum eundem hominem esse, quem Wattenbachius Ditericum [2]) nominat, et quem monachum S. Matthiae Treviris, initio undecimi saeculi miracula S. Celsi, quod opus Riccardo abbati dedicaverit, descripsisse dicit, verisimile est.

Marianum Scotum Trithemius in historia Germanici regni sequutus est; item Ottonem Frisingensem episcopum.

Quis ille Andreas monachus S. Hemmerami Ratisponensis fuerit, cujus opere Trithemius se usum esse commemorat, nusquam, ne in chronico quidem Hirsaugiensi investigare potui.

Praeterea Gottfridum Viterbensem, Gottfridum monachum S. Pantaleonis Coloniae Agrippinae, Henricum de Erfordia, Joannem de Hildesheim, Hugonem Floriacensem sequutus est.

---

[1]) Chronicum Hirsaug. I. pars. annus 966; annus 1010. Praefatio primae partis.

[2]) Wattenbachii fontes Germanici historici. Pag. 274.

Rupertum quoque Praemonstratensem Canonicum, Joannem monachum Castellensem, Ebervinum monachum Segebergensem, Bertrandum monachum Hirsfeldensem se sequutum esse dicit, de quibus nihil usquam invenire potui, ex quo, qui fuerint, quae opera scripserint, appareat.

Porro se Bernardum monachum Corbejensem in chronico Hirsaugiensi sequutum esse dicit, quem in chronico illo anno millesimo quinquagesimo primo opus contra Henricum IV imperatorem, in quo pateat clarissime, quam gravis et odiosus idem imperator fuerit Saxonibus, quod Harduino, archiepiscopo Magdeburgensi, dedicaverit, scripsisse commemorat.

Hoc opus quidem, quod ille Bernardus scripsisse dicitur, mihi ignotum est, sed quis ipse fuerit, me probe scire credo.

Dubium esse non potest, quin hic homo, quem Trithemius nominat, idem sit, quem Bernardum nomine magistrum scholarum, primo Constantiensis, deinde Hildesheimensis, tunc Corbejensis, et doctorem Bernoldi fuisse, et anno millesimo octogesimo octavo mortuum esse scimus[1]).

Qui quum imperatori infestissimus, papae amicissimus esset, incredibile non est eum illud opus, quod Trithemius affert, scripsisse, et Harduino, archiepiscopo Magdeburgensi, imperatoris adversario, qui quum Wernerus, archiepiscopus Magdeburgensis, pugna ad oppidum, quod Mellrichstadt nominatur, facta anno millesimo septuagesimo octavo occisus esset, archiepiscopatum Magdeburgensem adeptus erat, dedicasse.

Cujus Bernardi opus, quamquam ad nostra tempora non venit, Trithemio notum fuisse, et eum in chronico Hirsaugiensi eo usum esse exsistimandum est.

Multa etiam ex aliis diversis chronicis et historiis Francorum, Bavarorum, Suevorum, Moguntinensium, Neometensium, Vangionum comitumque palatinorum Rheni jamdudum per Wernerum, monachum Laurissensis coenobii, comportatis hausisse se Trithemius dicit.

---

[1]) Stenzelii historia imperatorum ex genere Francorum. I. p. pag. 496. Wattenbachii fontes Germanici. pag. 244.

Quis ille Wernerus fuerit, nusquam invenire potui. Trithemio fortasse opera ab eo comportata nota fuerint, quae ad nostra tempora non venerunt.

Ex annalibus quoque, privilegiis et litteris ipsius claustri Hirsaugiensis, ex legendis sanctorum se multa hausisse commemorat.

Neque vero solum iis scriptoribus, quos Trithemius in praefatione primae partis chronici Hirsaugiensis enumerat, usus est, sed etiam multis aliis, quos in praefatione non nominavit.

Ipse, si in chronico Hirsaugiensi ipso de viris litterarum studiosis dicit, qui diversis temporibus fuerunt, saepe se varia ex multorum operibus commemorat hausisse, quos se secutum esse in praefatione nullam mentionem facit.

Praeterea autem etiam aliis scriptoribus, quos nullo loco chronici Hirsaugiensis se secutum esse affert, usus est.

Ita, ut aliquot exempla afferam, Sigebertum Gemblacensem, Albertum Stadensem, Richerum, Lambertum Schaffnaburgensem, Hunibaldum in plurimis rebus sequutus est.

Restat ut aliquid de erroribus, quibus Trithemiana opera referta sunt, dicam.

Opera Trithemii, quamquam documento sunt, quanto studio litterarum ille vir inflammatus fuerit, quantum temporis quantamque diligentiam ad litteras adhibuerit, tamen variis erroribus abundare, aequales ejus jam intellexerunt, inter quos Jacobus Wimphelingus praecipue, qui, ut exemplum afferam, probe vidit Trithemium in opere suo, cui inditum est nomen „scriptoribus acclesiasticis," in multa vitia et errores incidisse, sed tantum propter modestiam suam et reverentiam illius viri, qui de litteris in Germania optime meritus erat, at certe incommodo litterarum prohibitus est illos palam pronuntiare et emendare [1].

---

[1]) Erhardi historia litterarum rursus efflorescentium, praecipue in Germania. Prima pars. pag: 445.

Id quod de plerisque operibus Trithemii valet, est praecipue de chronico Hirsaugiensi.

Jam aliquot errores, qui chronico Hirsaugiensi continentur, enumerabo.

Anno millesimo quadragesimo tertio Hermannum Contractum mortuum esse Trithemius falso narrat. Neque enim credibile est, ante annum millesimum quinquagesimum quartum Hermannum Contractum decessisse, utpote cujus chronicum ad hunc annum perductum sit.

Quum Trithemio Hermanni chronicum ignotum esset, nescio qua re commtus est, ut Hermannum jam anno millesimo quadragesimo tertio mortuum esse existimaret.

Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto scribit Trithemius:

„Claruit his quoque temporibus apud Bavaros Otto Frisingensis episcopus, nepos Friderici quondam imperatoris secundi, vel, ut alii volunt, primi; scripsit insignem historiam, quam in libros octo partiales quidem distinctione, ordinatione distribuit."

Quae ignorantia major esse potest, quam illa Trithemii, qui, quamquam, quum ipse in chronico Hirsaugiensi conscribendo Ottonis episcopi Frisingensis chronico usus sit, quem praecipue Friderici I imperatoris vitam descripsisse notum est, eum non tertio decimo saeculo, sed jam duodecimo saeculo vixisse, neque nepotem Friederici I aut II, sed patruum Friderici I sciret necesse erat, tamen in illos horribilissimos errores incidit!

Anno millesimo trecentesimo vicesimo quinto Trithemius narrat imperatorem Ludovicum filium suum Ottonem cum filia comitis Tirolensis matrimonio conjunxisse, id quod falsum est, quum illi filio, quem tunc imperator cum filia comitis Tirolensis matrimonio conjunxit, non Ottoni, sed Ludovico nomen esset.

Trithemium non modo in iis rebus, quas ex aliis scriptoribus hausit, sed etiam in iis valde peccasse, quas aequalis viderat, haec exempla documento erunt:

Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono dicit:

„Anno praenotato Eduardus, rex Anglorum, socer Caroli ducis Burgundiae, consilio et auxilio regis Gallorum, Ludovici undecimi, doloque procerum suorum a regno suo dejicitur, et Henricus eodem regno antea pulsus, in locum ejus restituitur.

Qui restitutus mox suadente et auxilium promittente Gallo bellum indicit Burgundo, ad quem Eduardus rex pulsus confugerat.

Unde vehementer oommotus in iram dux Carolus, exercitum ducentorum milium peditum ac decem et octo equitum milium cum Eduardo misit in Angliam contra Henricum, quorum fortitudine confortatus Eduardus in brevi regnum suum recuperavit, et adversariorum plurimos occidit.

Deinde confirmatus in regno Eduardus Henricum cepit, et in dolio malvatici exstinxit, multosque procerum cum illo sentientes interfecit.“

Quot quantisque erroribus haec Trithemii verba impleta sunt!

Non anno millesimo quadringentesimo sexuagesimo nono Eduardus rex Anglorum ex Anglia expulsus, ad Carolum, Burgundiae ducem, confugit, et auxilio accepto in Angliam rediit, sed anno millesimo quadringentesimo septuagesimo Angliam relinquere coactus, anno insequenti auxilium a Carolo, Burgundiae duce, adeptus in Angliam regressus est, et regnum suum recuperavit.

Non erat Eduardus, ut Trithemius affert, socer Caroli, ducis Burgundiae, sed frater uxoris ejus.

Fabulosissimum incredibilissimumque est, quod Trithemius Eduardum, regem Anglorum, a Carolo, duce Burgundiae, tanto exercitu adjutum esse dicit, quantum illa aetate praeter Turcarum imperatorem nullus princeps in Europa habuit.

Eduardi exercitum, quem in Angliam secum transduxit, tantum ex pluribus milibus militum compositum fuisse constat.

Quod Trithemius falso narrat Henricum VI regem in dolio malvatici vini exstinctum esse, verisimile est eum id

peccasse, quod id quod de ducis Clarentiae morte traditur, cum Henrici regis ratione mortis permiscuit.

Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Trithemius, quid causa fuerit, cur dux Clarentiae interficeretur, narrat.

Causa mortis, quam affert, prorsus fabulosissima est.

Praeterea dux Clarentiae non hoc anno, quo Trithemius eum occisum esse commemorat, sed anno insequenti interfectus est.

Eodem loco regem Angliae Trithemius non Eduardum, sed Edmundum nominavit; atque Margaretham, Caroli ducis Burgundiae uxorem, sororem ducis Clarentiae nominat, quum interim anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono Eduardum regem socerum Caroli ducis Burgundiae appellaverit.

Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio Americam detectam esse a Columbo Trithemius falso narrat.

Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo Trithemius Carolum VIII regem Galliae septemdecim annos natum mortuum esse dicit, quamquam anno insequenti non septemdecim, sed viginti octo annos natus obiit.

VITA.

Carolus Eugenius Hermannus Mueller natus sum Treuenbritziae, quae est urbs Marchiae Brandenburgicae, Idibus Januariis anno hujus saeculi tricesimo nono, patre Friderico Mueller, medico militari, matre Hermina Mueller, orta e gente Baer Spandoviae. Quam Deus omnipotens mihi jam eripuit, sed pater meus etiam nunc vivit, quem ut mihi Deus omnipotens ad summam senectutem conservet, etiam atque etiam oro et peto. Septem annos natus in scholam publicam patriae meae receptus, septem ibi annos prima elementa doctus sum.

Tum anno hujus saeculi quinquagesimo tertio patria mea relicta ad Gymnasium leucophaeum Berolinense, cui tunc praeerat et etiam nunc praeest Fridericus Bellermann, vir doctissimus, transii, ubi in quartam inferiorem classem receptus, septem annos commoratus sum, dum examine rite peracto testimonium maturatis adeptus sum. Deinde in Universitate Regia Berolinensi in philosophorum ordinem acceptus sum, et inde ab hoc tempore per biennium interfui lectionibus de historia, de geographia, de philosophia, de Latina atque Graeca lingua, de historia Germanici juris, quas lectiones habuerunt amplissimi doctissimique viri Droysen, Köpke, Kiepert, Lepsius, Homeyer, Trendelenburg, Althaus, Haupt, Boeckh, Geppert, Mullach, Steinthal.

Tunc Universitatem Berolinensem relinquens, in hanc Halensem Universitatem transmigravi, ubi in ordinem philosophorum receptus, per unum annum de historia, de philosophia, de Graeco et Latino sermone lectiones audivi, quas excellentissimi doctissimique professores Dümmler, Leo, Bergk, Bernhardy, Erdmann habuerunt.

His viris maximas gratias semper habebo, praecipue Droysen et Dümmler professoribus, viris illustrissimis, quorum ex colloquiis permultum fructus me cepisse libenter profiteor.

THESES.

I.

Trithemium vehementissime errare dicentem historiam solam pertinere ad mores hominum emendandos perpoliendosque, atque homines expertos facere, ut in unaquaque parte vitae sciant, quid facere debeant.

II.

Gustavum Adolphum, Suevorum regem, non tam amore fidei evangelicae, quam quod commodo fieret sui regni Suevici, commotum in Germaniam venisse.

III.

Fridericum II, Borussorum regem, optimo jure Silesiam occupasse.

IV.

Scriptorem res non ita scribere posse, ut non faveat ulli parti.